



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XI. Peccatoribus maiorem à dæmone imponi Crvcem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

## CARVT XI.

*Peccatoribus maiorem à dæmone imponi  
CRUCEM.*

Multa flagella peccatorum. *Psal. 31, 10.*

*Spreuerunt minimam, grauiorem adiguntur  
iniquæ,  
Quò magis exhorrent, hoc magè ferre CRV-  
CEM.*



ON poterat Staurophila non meminisse fugæ germanarum suarum; quæ oculis & animo ipsius continuò obuersabatur. quare ita Christum compellat: Vt sileam, Domine, de futurâ vitâ, auctamen animus scire, num in hac saltem fugitiuæ illæ degent sine CRUCE. Ideò enim se subdixerunt, vt in delicijs & honoribus sine cruciatu uiuant.

Nequaquam, aiebat Christus, hîc immunes erunt: *nam qui me per CRUCEM sequi recusat, semper illum CRUX ipsa prosequetur.* Et *mortalis nemo est, quem non attingat dolor.* Quemadmodum enim mori omnibus contingit, ita & pati: & sicut mortuus quisque suum habet sepulchrum, sic viuens

F

suam

Pinell. l. 4.  
De perfect.  
Relig. c. 10.  
\*Euprid.  
apud Ci-  
cer. in Tus-  
cul. 3.

suam CRUCEM. Quando moritur, CRUCE  
ante illum portatur: quando oritur, CRUCE

Eccli. 41, 1. illi portanda imponitur. Occupatio enim ma-  
gna creata est omnibus hominibus, & iugum  
graue super filios Adam, à die exitus de ventre  
matris eorum, vsque in diem sepulturae, in ma-  
trem omnium. Noli errare, mea Staurophila

Chrysoft.

Hom. 67.

ad Antioch.

multa sunt & planè diuersae CRVCIS causa  
& omnino nullus inueniri potest à tristitia  
mærore liber. Sicut enim nauigans non potest  
non cum varijs periculis conflictari; ita qui  
hanc vitam viuit, non potest non in tribula-  
tione & CRUCE versari. Omnes enim, cuius-  
cumque sortis sint, varias CRVCIS causas ha-  
bent, hic quidem ab uxore, hic à filio, alter  
seruo, alter ab amico, alter ab inimico, ex vi-  
cino quidam, quidam ex fortunarum iactura.

Quid. l. 2.

De remed.

amor.

Thom. à

Kemp. l. 3.

De imit.

Christi

cap. 12.

Et quis non causas mille doloris habet?

Sed habent sæculi homines, inquiebat Stauro-  
phila, multas etiam delectationes, & pro-

prias sequuntur voluntates: ideoq; parum pon-  
derant suas tribulationes & CRUCES. Cui

Christus: Est, ita sit, & habeant quidquid  
voluerint: sed quãd diu putas durabit? Ecce

Psal. 63, 3.

quemadmodum fumus deficient abundantes in  
saeculo, & nulla erit recordatio praeceptorum  
gaudiorum. Sed & cum adhuc viuunt, non si-  
ne amaritudine, & tedio ac timore in eis quie-  
scunt. Ex eadem namque re, unde sibi dele-

ctatio

Etationem concipiunt, inde doloris pœnam fre-  
 quenter recipiunt. Iuste illis fit: ut, quia inor-  
 dinatè delectationes quarunt & sequuntur,  
 non sine confusione & amaritudine eas ex-  
 pleant. \* Iussit enim Deus, & sic est, ut pœna  
 sua sibi sit inordinatus animus. Videre tamen  
 est, aiebat Staurophila, Reges, Imperatores,  
 Principes, & quibus supremum in alios ius,  
 quorum voluntati nullus reluctari audeat,  
 nihil aut admodum parum de CRUCE par-  
 ticipant. Respondebat Christus: Nullo mo-  
 do hi excipiuntur. Neque enim Rex procul à  
 curis & CRUCE vitam agit, sed vitam viuit  
 plenam multis tribulationibus & curis. Neque  
 diadema respicias, sed curarum tempestatem,  
 per quam ipsi corona paritur: neque purpuram  
 intuere, sed animam ipsâ purpurâ magis ni-  
 grescentem. Non ita corona caput circumdat,  
 sicut animam sollicitudo: nec satellitum ca-  
 teruam, sed molestiarum multitudinem specta.  
 Nec enim priuata domus, tot curis plena repe-  
 riri potest, quot Regia sunt CRUCES per sin-  
 gulos dies expectanda. Ut video, inquiebat  
 Staurophila, & illis CRUCES non desunt,  
 quibus deesse vel maximè putantur. Quid  
 dicam, Staurophila? inquiebat Christus.  
 Militia, & continua tentatio est vita homi-  
 nis super terram; & tam abundantia quàm  
 inopia solet esse materia peccati, cum vel diues

\*August.  
 l. 1. Con-  
 fess. c. 12.

Chrysoft.  
 Hom. 66.  
 ad Pop.  
 Antioch.

Iob. 7, 1.

Proper.

extollitur ad superbiam, vel pauper profilit ad querelam, & vtrunque non leuis exoritur

August.  
l. 10. Con-  
fess. c. 28.

CRVX. Va prosperitatibus saculi semel & iterum, à timore aduersitatis, & à corruptione latitiae! Va aduersitatibus saculi, semel & iterum, & tertio, à desiderio prosperitatis! Et quia ipsa aduersitas dura est, & naufragata lerantia, numquid non tentatio est vita humana super terram, sine ullo interstitio.

Fateor, Domine, aiebat Staurophila, in hac tentatione frequentes & graues esse lapsus. Sed peccatores hoc non CRUCEM arbitrantur, sed lætam & gratam admodum occupationem. Ita quidem nunc, aiebat Christus, sed aliter in alterâ vitâ iudicabunt. At

Sap. 5, 7.

non hæc impiorum vox: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: VIAM autem Domini ignorauimus?

\*Matth.  
11, 30.

\*Iugum meum suauis est, & onus meum leue, quod qui tollunt, inueniunt requiem animabus suis. Sarçina autem peccatorum

Zachar. 5,  
7.

est velut talentum plumbi, quod sicut onus graue grauatur super eos. Deinde, seruiunt hi dijs alienis die ac nocte, qui non dant eis requiem.

\*Hieron.  
in cap. 16.  
Ierem.

\*Quidquid enim peccatur, quidquid malorum operum die ac nocte fit, imperium est demonum, qui numquam dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum. Et vide mihi laborio-

rio-

riofam peccatorum defatigationem in fortissimo illo Samfone designatam. Ille enim Iudic. 16, 16.  
 blanditiis vxoris superatus, rasâ cæsarie traditur Allophylis, excæcatur, mittitur in carcerem, & vertendis molis velut asinus deputatur. Sic patiatur necesse est, quisquis Dalilæ, id est, carni suæ, nimium blandiens, illius se arbitrio committit. Hic enim spiritali robore ab eâ exspoliatur, & hostibus, mundo, carni, & diabolo, futurum mancipium traditur. Quid verò à crudelibus his dominis non patitur? lumine rationis orbatur, & instar bestię molam torquere asinariam cogitur. *Considera huiusmodi vitam, & tota tibi species iumentis molentis occurret. Ut illud pannis oculos corporis, sic iste sordibus vitæ suæ, oculos mentis obsitus, per errores suorum sensuum, quasi circa ambages molarum, laboriosâ miser statione versatur. Stat in viâ peccatorum compeditus vinculis cupiditatum suarum, & ipse sibi carcer est, obsessus tenebris erroris sui, & conscientie squalore concretus: in semetipso pistrini ergastulum patitur; saxum cordis sui, pertinaciâ iniquitatis induratum, quasi molam versat; farinam hostibus suis de corruptâ animæ suæ fruge conficiens. O quantâ hoc pistrinum defatigationis præbet materiâ! quàm meritò per Prophetâ clamat Dominus: *Qui scite agere peruersè!* Isaia 1, 16.*

Paulin.  
 Epist. 4.  
 ad Seucr.

Et verò quàm difficiles vias ambulant peccatores! *Via enim eorum tenebræ & lubricum*, nesciunt vbi corruant. Et considera quæso, quemadmodum in iis luto fœdatur intemperantes, lapidibus lædantur avari, arduitate lassentur ambitioni, spinis cruciuntur iracundi, tenebris occærentur inuidi, turbâ comprimantur adultores, inæqualitate & confragositate retardentur acediosi.

Denique *contritio & infelicitas in vijs eorum*. Video planissimè, subdebat Staurophila, non vnâ maios manere CRUCEM: sed tamen videntur quietè admodum & tranquillè vitam ducere, securi prorsus imminentium periculorum. Verè dixisti, respondebat Christus, videri eos tranquillam vitam ducere: videtur enim, non verè est.

Torquet enim eos conscientia delictorum, nec vermis ille continuè rodens vllam eis concedit requiem. Magnum, aiebat Staurophila, tormentum inquieta conscientia, animum continuè flagellans & discrucians.

August. in  
Psal. 45.

Subdebat Christus: Ita est. *Inter omnes enim tribulationes humane anime, nulla maior est tribulatio, quàm conscientia delictorum*. Namque si ibi vulnus non sit, sanusq; sit intus hominis, quod conscientia vocatur, ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illic confugiat, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non est,

est,

est, propter abundantiam iniquitatis, quoniam  
 & ibi Deus non est; quid factururus est homo?  
 quò confugiet, cum cœperit pati tribulationes?  
 Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad do-  
 mum, à domo in cubiculum: & sequetur tribu-  
 latio. A cubiculo iam quò fugiat non habet,  
 nisi interiùs ad cubile suum. Porro si ibi tumult-  
 us est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris;  
 non illuc potest confugere: pellitur enim inde;  
 & cum inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce  
 hostem suum inuenit quò confugerat, seipsum  
 quò fugiturus est? Quocumque fugerit, se ta-  
 lem trahit post se: & quocumque talem traxe-  
 rit se, cruciat se. Et quis animorum hæc tor-  
 menta æquo sustineat animo, quæ æterno-  
 rum sunt veluti præambula? Nam ut Cru-  
 ciarij, Romano ritu CRUCEM suam ferebant,  
 ipsi ab eâ mox ferendi; sic impijs omnibus, con-  
 scientiæ hanc CRUCEM Deus imposuit, in quâ  
 pœnas luant, priusquam luant. I nunc, Stauro-  
 phila, & felices puta, quibus opes, potentia,  
 voluptates circumfusæ: verè enim non sunt,  
 quamdiu carnifex ille animus quotidie eos  
 minutis ictibus cruciat & pungit, ac lento il-  
 lo passu ducit ad mortem æternam.

Lipf. l. 2. de  
 Constant.  
 cap. 14.